



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

X. Si quis cum aliquo per literas summi pontificis dispensauit, per posteriores literas non debet actum irritari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

<sup>ANNO
CHRISTI
1179.</sup> quod quidam, qui pater eius dicebatur, in præfata ministravit ecclesia. Præterea nobis ex parte eius insinuatur; quod memorato E. defuncto, media intercessit persona, cui prædictum collatum est beneficium. Inde est quod fraternitati vestræ, &c. quatenus si prædicta constiterint, prænominatum VV. in possessionem ei collati beneficii *induce-
re mittere non differas, omni occasione & appellatione cef-
sante; nec ideo minus obseruare rescripta apostolica de-
cet, quia hæc in ecclesia Dei hereditariam detestantur suc-
cessionem, ut canonicam approbent in posterum posse-
sionem. Porro si is *ex. *A. inter. non possint, alter nihilo
minus exequatur.

CAP. IX.

Idem VVigorniensis episcopo, & priori de Lucivvreden.

Constitutus in præsentia nostra G. clericus lator præ-
sentium, supplici nobis insinuatione monstravit, quod
cum capellam de Streiton canonice fuisset adeptus, &
eam pluribus annis pacifice tenuisset, R. miles ipsum præ-
scripta ecclesia sine iudicio & iustitia spoliauit. Cumque
memoratus clericus exinde episcopo querelam deposui-
set, obiectum fuit ei quod pater eius in eadem ecclesia mi-
nistravit, & præscriptam capellam non potuit rehabere.
Quia vero ad nostrum spectat officium, insolentiam lai-
corum contra viros ecclesiasticos debita seueritate com-
pescere: discretioni vestræ, &c. quatenus rei veritate dili-
genter inquisita & cognita, si vobis constiterit, quod idem
clericus a præscripta ecclesia per manum laicalem fuerit
eiectus, & quod pater eius præfatæ capellæ persona seu vi-
carius perpetuus non fuerit: licet in eadem nomine ipsius
G. quandoque ministrait, ipsam sibi cum redditibus inde
perceptis, amoto alio, si quis eam detinuit, dilatione &
appellatione & occasione cessante, restituatis, literis no-
stris, si quæ sunt impetratae, veritati & iustitiæ non præiu-
dicantibus, & ipsum sicut eam canonice adeptus fuit, fa-
ciatis pacifice possidere. Porro si *his ex. in n.po.
alter, adhibitis sibi viris discretis & honestis, ea nihilo mi-
nus exequatur.

CAP. X.

Ex tua parte nobis propositum est, quod cum olim ad
Concil. Tom. 27.

Iiii ij

ANNO
CHRISTI
1717
479

consultationem tuam super filiis sacerdotum tales literas suscepisses a nobis, vt eos possis in ecclesiis, quas patres eorum nullo mediante possederant, sustinere, quos^{*} bona^{prob.} vita & sanæ conuersationis cognosceres, vel quos eas longo tempore tenuisse constaret: quidam ad iudices literas impetraverunt, vt si constaret eos esse filios sacerdotum vel clericorum qui proxime ante eos ecclesiis tenuerunt, super his imponant eis, appellatione cessante, silentium, & ecclesiis istas eis assignent, quamvis in eis se ostendere nequeant per episcopum institutos. Super quo tibi respondemus, quod si per priores literas nostras cum aliquibus clericis dispensasti, dispensationem tuam posteriorum literarum nostrarum intuitu nolumus irritari, sed eam præcipimus seruari illibatam. Alios vero clericos laicæ donationis intuitu in ecclesiis, ipsis parochiali iure subiectis, sine auctoritate pontificis institui, aut institutos in eis remanere auctoritate apostolica prohibemus.

D E I V D A E I S,
ET NE CHRISTIANI MANCIPIA EORVM FIANT.

C A P. I.

SI C V T Iudæis non debet esse licentia, vltra quam permisum est lege, synagogis suis præsumere, ita in eis quæ concessa sunt, nullum debent præiudicium sustinere. Hos ergo cum in sua magis velint duritia permanere, quam prophetarum verba arcana cognoscere, atque Christianæ fidei & salutis notitiam habere: quia tamen defensionem & auxilium nostrum postulant, ex Christianæ pietatis mansuetudine prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Callisti & Eugenii Romanorum pontificum vestigiis inharentes, ipsorum petitiones admittimus, eisque protectionis nostræ clypeum indulgemus. Statuimus enim, vt nullus Christianus inuitos vel nolentes eos ad baptismum venire compellat: sed si eorum quilibet ad Christianos fidei causa configuerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur. Veram quippe Christianitatis fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed inuitus cogn-